

nullum religionis extaret vestigium, quodque nullum sensum
aut suspensionem Divinitatis haberet. In unò autem atque al-
terò homine possunt principia nobiscum nata interdum ita
deleri, ut eò malitiæ abeat, quò perneget Dei existentiam. Sic
anno hujus seculi 17. Tolosæ exustus est Julius Cæsar Vani-
nus, Neapolitanus, Philosophus ac Medicus, qui lib. 4. de ar-
canis Naturæ, omnem Dei existentiam tollere est conatus,
quod potius scripsisse videtur, quàm verè sensisse, ut pertina-
ciæ suæ daret signum immotum, quod & de aliis plerumque
Atheis dicendum esse videtur, ut ore negent Deum, corde ta-
men fateantur, idque faciant, ut pertinaciâ suâ alios in admi-
rationem rapiant.

§. 13. *Quartò* existentiam Dei contra Atheos probant
ex lib. 1. *Ethic. cap. 1.* ubi summus Philosophorum Princeps
Aristoteles fatetur, *quod omnia agant propter finem.* Hinc et-
iam bruta animantia suas propter finem instituunt actiones;
Jam verò finis omnis notus debet esse illi, qui propter finem
operatur, ut media ad finem ducentia ipsique proportionata
possit eligere; Brutis verò ignotus est finis, quippe quæ ob fi-
nem formaliter agere non solent, nec media ad finem illum
ducentia eligere valent & tamen per legitima media finem
consequuntur suum. Necessè itaque est, ut detur causa aliqua
superior, quæ bruta ita dirigat & disponat, ut legitima media
primùm apprehendant, perque illa fini potiantur. Argumen-
tum potest esse tale:

*Si bruta etiam agunt propter finem & quidem
per certa media, sequitur, quod alia causa
sit, quæ bruta impellat, ut ita agat.*

Antecedens est verum E. & consequens.

Antecedens probat Philosophus lib. II. *Phys. cap. VIII.* & i-
psa experientia testatur: Aves enim componunt nidos, ut
habe-